

### VIII. LITTERAE DE HAERESI

#### A. Litterae de haeresi ad capitaneos.

Sigismundus etc. Generose, fidelis dilecte! Complures anni iam intercesserunt, cum gliscente peste lutherana dederamus ad fidelitatem tuam mandatum, ut passim omnibus aediceres, ne proficiisci Vintembergam aut ad ea loca in quibus aliqua esset haeresos suspicio, liberosve suos eo mittere auderent. Id per fidelitatem tuam pro eo, ut officium illius postulat, diligenter esse curatum non dubitamus, verum perferlatum ad nos esse, nonnullos qui spreto et contempto edicto nostro regio quibus<sup>1</sup> locis eis per nos interdictum est, in his commorantur et pravis opinionibus mentes suas imbuunt ac redeuntes, inde vires quod auferunt<sup>a</sup>, afflare aliis conantur, quae res <sup>b</sup>nobis minime<sup>b</sup> ferenda esse videtur. Quare mandamus fidelitati tuae, ut sub poena capititis, proscriptionis et privationis omnium bonorum aedicionibus<sup>c</sup> denuo per praecomenem faciat, ne vel libros suos aut Vintembergam<sup>d</sup> aut Lipsiam aut Golbergam<sup>e</sup> aut quecumque tandem loca<sup>f</sup> de haeresi suspecta, quae hic pro expressis haberi volumus, mittere, aut si qui iuris sui sunt ipsi eo proficiisci audeant. Si qui vero liberos suos iam miserunt, <sup>g</sup>ut eos<sup>g</sup> intra semestre spaciū domum revocent. Alioqui non solum de liberis, sed de ipsis etiam parentibus poenas sumus sumpturi, si constiterit de consensu eorum in vettis locis eos commorari. In eos quoque, qui ausu<sup>h</sup> proprio propriaque temeritate profecti eo fuerint aut sibi post aedicti huius nostri promulgationem fuerint commemorati, graviter sumus animadversati, pari diligentia provideri a fidelitati tuae volumus, ne qui libelli in regnum nostrum importentur lutherana labe infecti, quos multos ex illis partibus mitti in regnum nostrum accepimus. Quisquis eius generis libellos importare vel eis privatim vel publice illis <sup>i</sup>ausus eisdem capititis proscriptionis<sup>j</sup> aut privationis bonorum omnium poenis tenebitur atque contra cum statutum avi nostri serenissimi olim<sup>k</sup> Wladislai regis<sup>l</sup> extendi volumus decernimusque, ut archiepiscopo aut episcopo suo sive ei, qui fuerit ab eis inquisitor constitutus, praesentetur utque his liceat iustis eiusmodi suppliciis afficere factura fidelitas tua pro debito et officio suo proque gratia nostra<sup>3</sup>. Datum Cracoviae, feria secunda post dominicam Palmarum, anno Domini <sup>k</sup>millesimo quingentesimo quadragesimo<sup>k</sup> [22 III 1540], regni nostri anno <sup>l</sup>trigesimo quarto<sup>l</sup>. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

#### B. <sup>m</sup>Litterae ad episcopos de haeresi<sup>m</sup>.

Sigismundus etc. Reverendissimus in Christo pater, sincere nobis dilecte! Ita, ut fuit de consensu omnium regni senatorum constitutum in proximis comitiis, missimus mandata nostra ad omnes arcium et bonorum nostrorum praefectos atque eis aediximus, ut providerent, ne quis ad loca de haeresi suspecta proficiiseretur, aut si quis profectus esset, ut intra semestre spatium reverteretur sub poena capititis, praescriptionis et privationis bonorum. Nunc paternitas vestra pro officio suo pastorali inquieret diligenter, qui sunt ad ea loca profecti, ut nos parentibus eorum aut

<sup>a</sup> hauserunt MK<sub>1</sub>. <sup>b-b</sup> W B. Czart. minime nobis. <sup>c</sup> aediici omnibus MK<sub>1</sub>. <sup>d</sup> Vitimbergam MK<sub>1</sub>; Withembergam B. Czart. <sup>e</sup> Goltbergam MK<sub>1</sub>. <sup>f</sup> ad loca MK<sub>1</sub>. <sup>g-g</sup> Słowa w MK<sub>1</sub> wpisane dwukrotnie. <sup>h</sup> anso B. Czart. <sup>i-i</sup> ausus is proscriptionis capititis B. Czart. <sup>j</sup> Brak w B. Czart. <sup>k-k</sup> 1540 B. Czart. <sup>l-l</sup> XXXIII. B. Czart. <sup>m-m</sup> W MK<sub>2</sub>: Episcopos regni et terrarum Prussiae.

<sup>1</sup> Od tego miejsca rozpoczyna się (bez wstępu) tekst B. Czart. 1771 III.

<sup>2</sup> Edictum contra haereticos et fautores eorum, z 1424 r., tzw. edykt wieluński (VL, t. I, s. 85-87).

<sup>3</sup> W tym miejscu, w B. Czart., wpisano następujący tekst: Exactio duorum grossorum, non secundum antiquas quittancias, sed iuxta numerum possessionatorum mansorum. Praeterea, quia in praesenti conuentu regni nostri generali constitutum est unanimi omnium voto et consensu, ut exactio duorum grossorum, qua *poradnie* vulgo dicitur, nobis iuxta iura et constitutiones antiquas de uno quoque laneo agri possessionato deinceps soluatur. Nos autem secundum antiquas quittancias mandamus proinde fidelitati tuae proclamari quoque, ut noticiae universorum palam fieri faciat, in locis capitaneatus sui, quibus opportunum fuerit, constitutionem istam, ut videlicet contributio duorum grossorum praedicta, deinceps nobis de uno quoque laneo possessionato, non autem secundum antiquas quittancias uti praedictum est, soluatur.

iis, in quorum potestate sunt, mandemus, quo intra semestre tempus eos provocandos current. Si secus fecerint, non ipsi minus, quam liberi, eorum poena capitum, proscriptionis et privationis bonorum omnium efficiendi<sup>n</sup>. De libris quoque Lutheranis scripsimus ad illos et mandamus, ut prohiberent eos importari aut legi a quopiam. Locique ordinario eorum nomina deferent, qui contra edictum hoc nostrum fecissent, ut iis meritas de eis poenas sumendas curaret. Proinde hac quoque in re advigilabit paternitas vestra et diligenter inquiret, si qui sunt libri huiusmodi, curabitque, ut edictum hoc nostrum executioni mandetur, factura paternitas pro fide sua proque gratia nostra. Datum Cracoviae, feria sexta ante Conductum Paschae, anno <sup>o</sup>Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>XL<sup>o</sup> [2 IV 1540], regni vero nostri anno XXXIII<sup>o</sup>. Ex commissione <sup>p</sup>Maiestatis Regiae<sup>p</sup> propria.

#### IX. LITTERAE DE HOMICIDIIS<sup>a</sup>

Sigismundus etc. Magnifice, sincere nobis dilecte. In comitiis Cracoviensibus proxime transactis<sup>1</sup> nuntiis terrarum visum est, ut delatio ad nos homicidarum abrogaretur, processusque institueretur contra illos, iuxta dispositionem statuti per serenissimum olim dominum Ioannem Albertum regem Poloniae fratrem nostrum charissimum editi, quo cautum est, ut homicida iure convictus turri mancipetur<sup>2</sup>. Quare sinceritati tuae serio praecipimus, ut homicidas ipsos, quam primum de crimine eiusdem convicti fuerint, ad carceris poenam statuto praescriptam citet ac in profundum turris illos mancipandis curet, reque ipsa irremissibiliter mancipet. Neque in hoc nullum favorem aut poenae elevationem illis faciat, sed tamdiu eosdem in turri teneat, donec tempus sessioni statutum expeleatur. Quod si quempiam partes concordiam inter se inierint resque inter illas compositione et non iure fuerit transacta, sinceritas tua nihilominus pro poena nostra contra homicidas huiusmodi agat et statutum praefatum contra illos omnino exequendum curet, concordia aut compositione aliqua partium inter se non obstante. Id quod a sinceritate tua summo studio summaque diligentia fieri volumus, non solum sub poena contra negligentes capitaneos iuribus nostris sancta, verum etiam pro iure iurando per illam nobis praestito et gravi<sup>b</sup> indignatione nostra. Datum Cracoviae, feria tertia post dominicam Conductus Paschae, anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo [6 IV 1540], regni nostri anno trigesimo quarto. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

<sup>n</sup> afficiendi MK<sub>2</sub>. <sup>o</sup> quo supra MK<sub>2</sub>. <sup>p</sup> sacrae regiae maiestatis MK<sub>2</sub>.

<sup>a</sup> W MK<sub>2</sub> figuruje tylko adres: Capitaneis. <sup>b</sup> W MK<sub>1</sub> mylnie: gratiam.

<sup>1</sup> Por. wyżej, nr XLVIII, I, pkt 12 — sejm walny krakowski 1539 r.: De homicidiis, tekst i przypis 6.  
<sup>2</sup> Por. wyżej, nr II, pkt 75 — sejm piotrkowski 1496 r.: De homicidio et capite nobilium solvendis.